



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae  
Augustiniani. De Praecipvis Urbis Romae  
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo  
uocant, Liber**

**Panvinio, Onofrio**

**Romae, 1570**

De oratorio S. Ioannis Euangelistæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11316**



ris, præter alias multas, quæ sunt sub lapide inferiori. Quarum nomina incerta sunt, & incognita. Quapropter sancti patres statuerunt, ne femina unquam ipsum sacellum ingrediantur. Hæc in antiquo libro Ioannis diaconi Lateranensis, scripta inueni.

Precandi formula.

Pater noster. Aue Maria. Antiphona. Hic est præcursor dilectus, & lucerna lucens ante dominum; Ipse est enim Ioannes, qui uiam domino præparauit in eremo: sed & agnum dei demonstrauit, & illuminauit mentes hominum; ideoque plusquam propheta uocatur, de quo Dominus dixit; Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Vers. Fuit homo missus a deo. Resp. Cui nomen erat Ioannes. Oratio. Deus, qui filio tuo domino nostro Iesu Christo B. Ioannem Baptistam præcursorẽ misisti, da nobis qui eius commemorationem colimus spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in uiam salutis æternæ. Per dominum nostrum &c.

De Oratorio s. Ioannis Euangelistæ.

Ex ædiculæ s. Ioannis Baptistæ regione a leua baptisterij aliud est Oratorium sancti Ioannis Euangelistæ, omnibus suis ornamentis etiam marmoreis expoliatum. Quod Hilarus papa, qui illud condidit, insigni argentea centum librarum Confessione, & cruce aurea exornauit. Supra primam eiusdem marmoream portam, qua ex lauacro iter est in uestibulũ ante sacellum, sunt eiusmodi uerba.

LIBE-



DE VII. VRBIS ECCL. 163  
LIBERATORI. SVO. BEATO. IOANNI.  
EVANGELISTAE. HILARVS. EPISCOPVS  
FAMVLVS. CHRISTI.

Post hanc portam est uestibulum oblongum, & stri-  
ctum, sine fenestris, ex quo proditur in ecclesiam s. Ve-  
nantij. In uestibuli medio e regione prioris portæ est a-  
liud ostium oratorij s. Ioannis Euangelistæ, quod qua-  
dratum est, & alio oratorio paulò maius: tectum habet  
fornicatum, & pulchro musiuo pictum: sustinetur quat-  
tuor marmoreis columellis octangulis cum capiulis Io-  
nicis; tres habet absidulas, omnes stuccatas, cum toti-  
dem altaribus e marmoreis tabulis easdem occupanti-  
bus: quæ intus inania columnarum porphyreticarum  
fragmentis innixæ sunt: sub quibus multas sanctorum  
reliquias esse ferunt. Olim totum tabulis lapideis orna-  
tum fuit, nunc ineptis picturis, & quibusdam signis af-  
fectum est: solum marmoreum habet.

Precandi formula.

Pater noster. Ave Maria. Antiphona. Iste  
est Ioannes, qui supra pectus domini in cæna recubuit,  
beatus apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia.  
Vers. Valde honorandus est beatus Ioannes. Resp. Cui  
Christus in cruce matrem uirginem uirgini commenda-  
uit. Oratio. Ecclesiam tuam domine benignus illustra, ut  
beati Ioannis dilecti apostoli tui & euangelistæ illumi-  
nata doctrinis ad dona perueniat sempiterna, & nos fa-  
mulos tuos ab omni aduersitate custodi. Per dominum  
nostrum.